


Libarinius, Andreas:

Physica lactis contem-
platio. 1610.





26 D. O. M. A.
PHYSICA L'A-
CTIS CONTEM-
PLATIO.

In qua simul de lacte infantum, virgi-
num, virorum, Hircorum, Gallinarum, &c. item semi-
nis & sanguinis, uteri & mammarum consensu
aliisq; jucundis scitu questionibus.

Ad disputandum proposita in Il-
lustri Casimiriano Saxonico Coburgi.

PRÆSIDE
ANDREA LIBAVIO M.D.P.C.
GYMNASII DIRECTORE ET
PROFESSORE PUBL.

Respondente
MARCO HEBERERO SUEVIFUR-
tense Gymnasta Publico. *Ue*

Ad xxviii. Septembris Iuliani. *2961*

Coburgi, Typis Ducalibus Iustus Hauck.
Anno Christi, MDCX.



VIRIS
MAGNIFICIS AM-
PLISSIMIS, CONSUL-
TISSIMISQUE, D. CON-
SVLIBVS, ET SENATORIBVS INCLYTÆ,
ET IMPERIALIS REIPUB. SVVIN-
FURTENSIS,
Patriæ patribus vigilantissimis, Dominis Mecc-
natibus, ac Patronis suis humilimâ animi
subjectione colendis,

NEC NON

*Spectatissimo variarumq; rerum usu & experien-
tia præstanti viro Dni IOHANNI HEBERERO Svinphurten-
sium Archigrammateo fidelissimo, parenti suo filiali amore
et atem prosequendo.*

Tyrocinium hoc Physicum

*Debitæ observantiæ & gratitu-
dinis ergo -*

Dicat & dedicat

Respondens

MARCUS HEBERER.



DE LACTE THESSES.

I.

LACT est humor (ut definitionem ex Aristotele colligamus) animalium viviparorum, post generationis, (ὄσπερ γενέσθαι) generationis causa ita à natura, ex sanguine, tanquam excrementum utile, decusus & concoctus, ut animal recens editum ex succis uberibus maternis, in quibus fit & perficitur, foris, extra locum natalem nutriatur. Cujus definitionis membra recenset Philosophus lib. 3. hist. cap. 20. & 21. & 4. de part. an. cap. 11. & 4. de Gen. an. 8. Item 7. hist. cap. 3.

II. Naturam ejus eandem esse, qua seminis, ex quo unum quodq; generatur, hoc argumento probatur, quia eadem materia est qua alit, & ex qua generatur natura id quod alitur. Neg. enim alio constamus, alio nutrimur. 2. de ortu tex. 50. cap. 8.

III. Semen autem sanguineorum excrementum utile est à sanguine decisum, & ex sanguine in vasis seminariis elaboratum conformatumq;, ut possit idoneum generationis medium esse, & potentia id, quod generans est actu, motu accepto ab eodem, ita ut in loco genitali per calorem in actum productum, consistat, formamq; accipiat fetus, qui ut constitutus est ex sanguinis decisione, & humore inde orto: ita sanguinem ad sui nutritionem & augmentum, vel id quod sanguinis vicem supplet inq;, sanguinem coctione mutari potest (ut in Ovo album, & Luteum) expetit, & sic eodem genere fit, augetur, & nutritur, tam intra locum generationis, quam foris, ut sanguine & ex hoc lacte, si quidem est ex lactentium grege.

IV. Extruxit hinc Aristoteles, præter alia, opinionem suam de ortu fetus, ex mare & femina. & maris semen negavit ad corpus facere: quandoquidem vias vim duntaxat ad essentiam in corpore genitura

conferat, ut sic anima à mare. * *fit*: Sed, fœmina efficiente quidem
 semine careat: materiam tamen præbeat, ex qua corpus nascatur, quæ
 materia sit sanguis, qui cum in non prægnantibus iusta ætatis fœminis
 abundat, singulis mensibus excernitur: in prægnantibus vero fit mate-
 ria conceptus, fetusq;, & post partum in lac vertitur: quanquam dis-
 crimen sit inter menstruum vulgo dictum, & materiam fetus. Illud
 enim colluvium pravorum humorum in cacochymis simul vehit, est q;
 tanquam fœx sanguinis, qualis per hæmorrhoidas expurgatur: unde Co-
 lumbus observavit, prodire ex ramis venæ cavæ in uteri cervicem in-
 fertis: Materia fetus quantum fieri potest, est pars sanguinis purior à
 fece impura secreta, nisi penuria purioris cogat etiam impuram assume-
 re, unde sunt ab ipso conceptu morbidi. Hic autem sanguis alia via in
 uterum per venit; nempe per interiores uteri venas, licet non negemus
 etiam hanc menstruorum abundantiam in non prægnantibus iuste ætatis
 prodire. Aristoteles sane lib. 4. Gen. an: cap. 8. eandem naturam esse
 lactis, seminis ex quo generatur id quod alitur lacte, & menstruorum ju-
 dicat, frustra opposentibus aliquibus suos hircos, & mares quibus ajunt
 deesse menstrua, non probantes deesse etiam analogum. Idem sentit Ga-
 denus cum Aristotele.

* Aristote: 1. Gen. an. 1. mas est id quod potest concoquere consti-
 tuere & discernere semen, & principium obtinet formæ: quod primum
 moveat. Fœmina est quod recipit semen, nec potest constituere, & dis-
 cernere: (semen hic accipitur non materiale principium sed formale.
 Nam aliquando ut efficiens consideratur, aliquando ut materia: vide 1.
 Gene: an: cap: 18.)

V. Verum redarguitur opinio ista Aristotelis de semine non tan-
 tum generationis & instrumentorum, materiam continentium & con-
 ferentium evidentia: verum etiam veritate oraculorū divinatorū. Nam
 & mas & fœmina semen habet in seminariis organis, & utrumq; à san-
 guine decisum, & ex eodem elaboratum. D. Paulus ait DEUM ex
 uno (εξ ενός ἀποῦο; quod vertunt etiam ex uno proventus Adami)
 sanguine fecisse unum versum genus hominum, nempe per generationem
 naturalem, ad quam, materiam, scilicet semen ex sanguine mutatum,

cont: 3-

contulit primus hominum parens. Denique, quanguam in utero
præter naturam virgo peperit puerum IESUM: Nihilominus tamen
ex semine suo per Spiritum Sanctum conceptum, qui & primum in ute-
ro sanguine virgineo crevit; nutritusq; est, & post partum, lacte. Unde
& semen mulieris dicitur: Item semen Abraha, cuius abneptis erat mu-
lier, per intercedentes generationes ex Abraha semine orta: Notabili sa-
ne exemplo mulierem non locum tantum genitalem, sed & materiam
fœtui conferre.

VI. Patet materiam lactis sanguinem esse, idq; propinquè. Nam
ex venis & arteriis in locum generationis lactis sanguis perducitur, qui
ibidem transmutatur natura id indicante etiam interceptu menstruor-
um in pregnantibus, & lactantibus: quanguam inter exempla sint,
qua & lactaverim, & fluxum menstruum sint passa, nec desint etiam
tales prægnantes sed quas sanguine abundare oportet. Huc pertinet I. I-
sitiæ exemplum de prægnante, qua prope partum ex dextra mamma
enultum sanguinem reddidit, nec desunt qua etiam ultra dimidium ge-
stationis uteri fluxerint.

VII. Patet & hoc per naturam lac gigni in his quibus est facultas
generationis in seipsis in quibus & primum constituitur, alitur, cre-
scitq; fœtus, & postea foris nutritur, idq; in genere sanguineo viviparo.
Aliud enim genus per naturam esse non potest. Itaq; lac competit fœmi-
nis solis per naturam.

VIII. His etiam instrumentum generationis lactis & conceptacu-
lum evidens ideò natura addidit nempe mammæ in genere humano
potissimum, ubera in bestiis: Quanguam enim vesperilio quoq; in
pectore id instrumentum habeat, & Elephas fœmina juxta anteriores
pedes, seu arcos: tamen in his ubera potius quam mamma dicuntur: In
genere vero ubera in omni animali lactante, cui & mamma, mamillæq;
aliquando ascribuntur per translationem, ut capris, scrois, phocis in
mari &c. magis proprie voce competente humanis uberibus. Germani
sic discernunt Brüste & Cütter: Græci θηδον communicant, ut
Latini uber, *μαστὸν* vel *μαστόν* mammam vocant muliebrem. Sed id

discretum non est accurate observatum, quando Plinius etiam Capris
ascribit mammam eademq. Latini Zoographi tribuunt Delphini,
phoca &c.

IX. Aristoteles μασόν vocat ἰμδοχὴν ὄϊον ἀγγέον ἰσ' γαίλακος,
Coceptaculum, & tanquam vas lactis, in 4. de part. an. cap. 11. quod
natura in hominibus parti superiori adjecerit, propter ordinem primæ,
& originalis institutionis, quod præcipua pars hominis sit ea, qua est su-
pra septum: Quæ tamen ratio in bestis pluribus non valet, habentibus
quidem potiorem partem supra Diaphragma, sed ubera juxta feminas
vel in ventre. Alias causas alii recensent. Unde negantur aves mam-
mam habere, & pisces, quia lacte carent. Vespertilio vero inter aves &
quadrupes ambigere videtur, ut indicat philos. in 4. de part. an. cap.
13. ubi & vitulos marinos inter pisces, & terrestres bestias interponit
& tunc negare possit piscibus mammam decesse. Vide & 6. hist. cap. 12.
(vitulus marinus generis ambigui est: animal concipit intra se & pa-
rit, & lac reddit more pecudum: in mammis geminis educat fætum more
quadrupedum. Historia recentium, ut & Scaliger, recensent plures
pisces ex genere Cetaceo: ut peregrinum illud Manati, qui catulos parit,
& pastum exit in sicco, gramina carpens, vitulinam sapiens esu, ossa
habens instar vacca &c. Præterea mammata sunt balæna, orca, physic-
ter, Mysticetus, pristis, Delphin, cujus naturam ambigere dicit Philoso-
phus, ut & cæterorum talium 8. histo. cap. 2.)

verdus
6. anato: ad mammam fertur vi providæ naturæ postquam partus est emissus, per
cap. 9. & venæ ejusdem ductus diversos. Nam (qua est sententia multorum) ex
3. cap. venæ cavæ duæ propagines emittuntur, unam dicunt Epigastriam quæ
Galenus per musculos abdominis rectos ascendens occurrere perhibetur venæ
s simpli. mammaria, & sic nutrimentum transferre. Altera in uteri cervicem in-
feritur, per quam expurgatur fæx sanguinis quasi per hæmorrhoidas ute-
rinas. * Unde & consensus uteri, & mammarum & vicisitudo
lactis, & mensum. (Venæ una ex pectore descendit: altera ex venæ ca-
væ trunco ascendit. Et cum hac ad uteri regionem jungitur descendens pa-
210

2107

atur, sed & ab illo magno trunco vena mammae descendit
deorsum ad uterum sparguntur. Habent autem vena communes ductus,
unde aliquando sanguis menstruus per mammam exit, vel hamorhoidas,
aut rens & vesicam; item vomitur, expectoratur &c. Et revocatur se-
ctis aphena vel vena raseta. Vide observationes Schenckii lib. 4. An-
dreas Laurentius putat non concurrere Epigastricam & mammariam:
Sed ex hypogastrica, & spermatica quae sunt uterina resuere sangui-
nem ad vena cava truncum, indeq; in axillarem & ex hac in mammam
invehi per Thoracicas duas: unde recepto itinere vicissim perveniat ad
uterum. Sane hoc probabilius est, & firmatur multis accidentibus,
ipsiusq; natura instinctu & nonnunquam imaginatione diriguntur
(opus.)

* Valverduus etiam per eas quae internam uteri amplitudinem oc-
cupant, excerni potissimum tradit, Columbo priorem opinionem te-
nente, quamquam Valverdi ratio non sit contemnenda, quia post par-
tum mulieres effundunt purgationem etiam ex interioribus uteri.

XI. Porro ut ventriculi propria actio est χύλωσις. Epatis ἀμ-
φοτέρωθεν medicorum opinione (licet Aristotelici dissentiant), vasorum
spermaticorum σπερματοποίησης, seu σπερματίσις: ita mammarum γα-
λακτοποίησης. Hanc enim facultatem eis natura & hoc temperamentum
indidit, ut sanguinem tam vena, quam arteria haustum calore suo, cor-
dis calore per arterias cum spiritu collato, possint concoquere, elaborare,
& in succum alimentarium, non sui, seu suae substantiae (neq; enim lacte
aluntur ubera, verum sanguine) sed principaliter foetus & consequenter
etiam aliorum (ad alios usus quoq; secundarios, atq; etiam abusus postea
transfertur. Nam lac ποδι χηρσον est) convertere, qui naturaliter con-
stitutus perfectuq; ut plurimum albus est (prater naturam & vitiatu-
sanius est, si ve sanguine corrupto ante transmutationem, si ve postea
lacte ipso vitiatu, & rubescente aut ferescente &c.) cum quia ipsum
organum & officina constat carne alba glandulosa pingui: tum quia san-
guis etiam sua natura ad albedinem coctione perducitur, ut apparuit
ad pe. pinguedine & similibus.

Serum
ixωg u9
dyside
pēs.

nis in cuiusq. generis femina, calidus nimirum humidusq. succus servans naturam generici temperamenti sanguinis, si quidem is naturaliter se habeat. Inde Galenus lib. 5. simpl. cap. 20. lac humidum & tepidè calidum, ut sit in medio pituita & sanguinis, dicit, propius tamen sanguini. Alias Cacoehymicus, Cacoehymicum lac prabet, nisi vitio instrumenti aut aliis aliter intervenientibus causis depravetur. Notabis autem variare non tantum diversis animalium generibus, sed & etate & pastus copia, penuria, bonitate, malitia &c. Ideo & loca aliquid conferunt, aliàq. accidentia. Arnoldus Freitagius temperatum calore esse vult, humidum gradu. 2. Galenus discernit generibus & constitutionibus animalium, & optimum in suo genere dicit esse recens multum, & vel ex uberibus ipsis factum, quomodo tabidis convenit. Verum hac consideratio peculiare exercitium requirit.

XIII. Habet lac partes diversas, & in anatomia seu resolutione diversè judicatur. Aliter enim affecta est pinguedo ex cremore & flore lactis pressu densatq. facta, quod butyrum vocant: Chymici sulphuri comparant: aliter serum quod aqua, & mercuriali principio partim etiam salso respondet: aliter caseus & colostrum quod terram refert parte salis inclusa. (Colostrum primi lactis densatio est, & aliquando lapidescit Plin. lib. 11. cap. 41.)

XIV. Convenit ex dictis lac univocum esse humorem eum qui per transmutationem, & alterationem naturalem fit 1. ex sanguine 2. in uberibus femineis ad generandum in se & pariendum per naturam destinatis: 3. ad fœtum foris nutriendum, 4. per coctionem caloris nativi, & facultatem uberibus insitam 5. Qui consequenter albus & temperamentum materia respicit, & ipsius instrumenti. Alteratum enim sequitur naturam alterantis: & unumquodq. transmutatur in determinatum fitq. simile ex simili secundum naturam: sicut & cibi vis in sanguine inesse animadvertitur.

XV. Quando ergo lac per urinarios meatus excernitur, aut ex venis sectis effluit: vel vomitur, & aliis viis præter papillas & uberum
appen-

appendices erumpit, translatum ex mammis existimatur aut equivo-
cum lac esse, cum revera sit humor lacti similis.

XVI. Ita lac solemus appellare etiam succos herbarum (ut Esula,
Lathyrus, Cichorii, dentis leonis Scorzonera &c. Plinius lib. 23. cap.
7. lac ficorum habet, quo pro coagulo utuntur ad lac animale. Quarun-
dam plantarum etiam rubet: Chelidonii majoris aureum est &c.) &
emulsiones artificiales ex radicibus, seminibus, farinæ, aliisq. Pluit &
lacte: quod alii ex gregibus ardore solis extractum volunt: sed rectius
alii succum lacteum generis sulphurei, vel bituminosi, aut similis me-
teori ex habitibus coalescentis, nonnulli spumam in aere concretam vo-
cant. Plin. lib. 2. cap. 58. lacte & sanguine Pluisse. M. Attilio, & C.
Portico Coss. narrat.

XVII. Lactes animalium intestini alius, ut plinio lib. 11. cap. 37.
sunt pinguia intestina, graciliag: alius Mesaræ pinguedo cum glandulis.
Arist. in 4. de part. an. 4. lactes vocat membranam illam inter intesti-
na quam Mesenterium vocamus, per quod ad majorem venam & aur-
tam Cordis essentia cibi fertur. Ita in 2. de part. an. cap. 3. Ita & Gale-
nus lib. 6. anatomicorum. Dicuntur & pisces mares lac habere, quod
vulgus novit in halece, Cyprino & aliis. Metaphoricum nimirum &
hoc est. Alius semen masculum in analogo testiculorum comprehensum,
dicitur. (Arist. 3. hist. 20. ἡ γυνὴ ἐστὶν ἰσχυρὸν ἐνὶ οὐτρὶ ἢ ἐνὶ οὐτρὶ ἡ κατὰ μῆτρον. Ἐ-
ποιοῖ. id est, Semen piscium; Gaza viru genitale.)

XVIII. Plinius in proæmio librorum de rebus naturalibus me-
minit lactis Gallinarum, irridens ampullas inscriptionum titulis nudis
vacuisq. promittentes cornu copiz, quasi lactis gallinæ sperare possit in
volumine haustum seu omnem abundantiam sufficientiamq. Sanè lacte
designari rerum copiam etiam ex sacris dycimus, nominata terra fluen-
te lacte, & melle. Exod. 3. vers. 8.

XIX. Veruntamen nonnulla est etiam naturalis ratio istius no-
minis. Alcmaeon lac avium vocavit humorem album nutritivum pul-
l. rum in ovis. Aristoteles quidem non vult album, quem habet pro ma-
tr. a generationis: sed tamen lacum ita appellari posse donat, ut qui sit

Vlyffes
drovandu
tom. 14.
nithologi
in provet
de gener
gallinace
Erasmus
Chiliad, c
tur: 6,
verbio,
cibus

cibus geniti. In ovo (inquit in 4. de part. an. 11.) Lacteus ille cibus, γαλακτικός οὗτος ἰσοφῆ, ingentus oviparis continetur. Is non est pars candida ipso iudice, quia principium pulli in ea, quae est sua natura humida & calorem animale in se continet: sed lutea, quam vult animalibus pro cibo esse umbilico ex corde ad eam emissio. Vide in 6. hist. cap. 2. & 3. In 3. de Gene. an. cap. 1. & 2. Ibi etiam contra Alcmaonem Crotoniaten disputat asserens lac aliis animalibus in mammis fieri: Avibus vero naturam hoc ipsum in ovo constituisse, quod non sit albumen licet vulgus cum Alcmaone sic iudicet, sed vitellus. De hoc quidem nos in singulari tractatione: nihilominus autem fatetur Philosophus Gallinis lac quoddam esse ut sic non omne lac sit mammarum: nec usq. adeo admirabile proverbium de lacte Gallinaceo. Est in aliqua parte felicitatis domesticae gallinas multas multa ova parere: sed non quomodo sage id solent procurare per edulium ex ovis magicum quod cum aliquando in Austria vorasset canis lanarius, referente Cl. viro Iohanne Bierdumphelio ordinum Austriae medico, ova excrevit.

XX. Verum cum in 3. hist. 20. expressè negat ovipara mammis & lac habere univocumq. lac uberibus tantum ascribat, equivocum lac intelligi patet: ut & cum Galaxia in caelo collustratio, vel alba lux (via Iacobea) Lac vocatur in 1. meteor: 8. Lac est veluti definitum maximi propter segregationem Comae circuli. Aliud minerale est quod lac Lunae vocant. Chymici & chirurgi lac virginis faciunt.

XXI. In 4. Gen. an. 8. scriptum est Empedoclem lac vocasse pus album. Aristoteles autem tropicum id censet, aut falsum: Pus enim corruptionis est: lac concoctionis: tamen Medici etiam pus concoctum oppositumq. crudo habeant. Putredo concoctioni contrarium est, inquit Philosophus, Pus autem putredo quaedam est: Lac res concocta prorsus. Id & ex capris aetæ montis cognoscere est. Has enim dum pastores urtica perficiant (inquit Arist. 3. hist. 20.) primum cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, postremo lac. Aliud ergo lac, aliud pus.

XXII. Sed non desunt qui Empedoclem defendunt. Nam qui chymicas locutiones transferunt ad physicam, & medicinam, dicunt chylum in ventriculo fieri per putrefactionem qualem procurant chymici in fi-

mo equino, balneo, & simili calore ad segregandas essentias à commistâ impuritate elementari, quod natura etiam in ventriculis & intestinis videtur efficere, nec differt, ut inquit Philosophus, naturalibus an artificia- libus vasis fiat idem. Si in ventriculo chylus sit per putredinem, quid ni lac in mammis? Empedoclem Chymicum putant chymicè locutum esse. Sed alia ratio est coctionis, & segregationis in ventriculo, alia transmuta- tionis in mammis, qua sanguis in lac vertitur per exaltationis quandam speciem, & perfectionem. Si etiâ chylosis putrefactio dicenda est, non cer- tē talis est, qualis fit in apostematibus, vulneribus, & aliis præter naturam se habentibus, cum sit opus naturæ ad perfectionem contendentis.

XXIII. Considerandum & illud est, quod apud Plinium legitur lib. 2. cap. 106. de lacte NIGRO. In ponto, inquit fluvius Astaces irrigat cam- pos in quibus oves nigro lacte a què gentes alunt. Verum hoc non facile creditu est, quanquam navigationes Orientales in Mosambique Insula narrent esse gallinas nigræ carnis quarum decoctum sit instar atramenti. In America quodam loco ceram nigram ex favis fieri ostendunt. In Hi- spaniola dicitur esse fructus ex quo aqua albicans emanet, qua conspersa nigrescant. Fors dicendum est tale quid etiam lacti venire. Sed si æthio- pibus & æthiopissis non est semen, & lac nigrum, verum album; ut cen- tra Herodotum & Ctesian, qui Elephantis tribuerat nigram genituram differit Philosophus in 3. hist. cap. 22. & 2. Gen. an. 2. neq; lac erit album; si vero æthiopibus & ovibus nigris album, verisimile est omnibus album esse. Constat in uberibus albis ex sanguine rubro lac album fieri, non ni- grum; nisi pro lacte exeat serum tale quale nuper vidimus fœminæ hieno- læ & melancholicæ lotium, atramenti diluti instar. Sed id ex præterna- turali percrisis. De sana vero certum plures historiæ referunt.

XXIV. Tandem lac esse fœminæ sexus naturaliter post partum ad a- tendum foris fœtum hunc humorem in mammis ex sanguine gignentis dictum est. Num ergo præter naturam contingit id quod Cardanus de in- fante lac primo mente è mammis reddente, annotavit? Num & id quod Alexander Benedictus de virgine, quodq; Vega tum de virgine, tum ali- is quibus suppressi mentes? Quid statuendum de viris apud Schenckium lib. 2. observat 290? Quid de Hirco apud Aristotelem lib. 3. hist. cap. 20. Et apud Matthiolum in Epistolis lib. 3. ad Casparum Peucerum, ubi tres Hirco uno tempore in Bohemia repertos scribit quibus ubera geni- na juxta genitale enata lac reddiderunt Epilepticis utile?

XXV. Aristoteles quidem inter ostenta habet, hircum lac gignere, quod & Paracelsus vult, qua de sulco irritiq; conatu pronunciat jungi

aliquid esse violenti. Violentia vera est in caussis naturæ oppositis nec fa-
cit diurnitatem, seu perpetuitatem scientificam, referturq; ad fortui-
ta, quorum, ut & accidentium, nulla est scientia: Estq; ea res manifesta in
his viris, & virginibus aut etiam mulieribus non lactantibus quibus su-
ctu violento sanguis ad mammas pertrahitur, ibiq; loci calore conco-
quitur. In deficientibus menstruo fluxu contingit motum ad mammas
esse, sed rarò. Itaq; & hoc fortuitum. Quidam vero viri semimares sunt,
naturamq; effœminatam habent ut Eunuchi, & qui olim salmactis unda
potati dicebantur: Hos fœminea pati, nihil est mirum.

XXVI. Sed & Hermaphroditica quibusdam est natura non tantum
genitalibus manifesta, sed & passionibus: Sicut contra inveniuntur fœ-
minæ masculæ. quæ non habent mammas laxas & spongiosas fœmine-
asq; sed masculas concretasq; & ob id ad lac generandum inutiles. Qui-
busdam etiam Barba nascitur ut Margarethæ illi in aula Bavarica, quam
pingunt dextro oculo privatam, cum barba nigra proluxa vestitu fœmi-
neo, & diademate capitis, capillo pendente & in tergum rejecto: si qui-
dem non androgynos, aut mas occultato intus membro, sed vera fœmina
fuit. Aliquibus menstrua versa virilem dispositionem afferunt. In Æthiopia
comôte Climace fabulatur esse fœminas barbatas, ut alibi viros lactante.

XXVII. In quibus ergo sexum confudit natura, ut mares aliqua sint
aliqua fœminæ, illis evenire diversa nihil est mirum: nec ob hæc errata
evertitur constans axiomaticumq; iudicium naturam per se lac fœminis
destinasse quibus & singulariter affectas mammas dedit. Quæ præter so-
litum rarò contingunt, sunt accidentis. Ita & hirci lactiferi sunt ex parte
hirci, ex parte capræ, tanquam hermaphroditi. Morbo quicquid fit præ-
ter naturam fit.

XXVIII. At videtur natura maribus quoq; mammas dedisse ut ne-
cessitate urgente lac præbeant fœribus, & fungantur vice fœminatam.
Ideo enim ex maribus solus homo mammas accepisse dicitur, cæteris a ni-
malibus habentibus mammaram notas tantum. Si hoc verum putamus,
cur ex maximo numero nihil lactis exprimere possumus etiam maximis
necessitatibus urgentibus quibus facilius ex punice oleû elicueris: Po-
tentia vel nunquam vel rarissimis exemplis in actum prodiens pro natu-
rali non habetur, estq; privationi proxima. Mammæ vitis additæ sunt ut
indicerent esse alterum dimidium totius, fœminâ ejusdem speciei abscissa:
minimè verò ut in locum fœminæ generatione & nutritione lactea infantis
succedant: Deinde ut speciem virilem exornent: ut pectus foveant: &
per meatus affectum amoris eum spiritu & calore communicent. &c.

ca.
tui.
ta in
s fu-
co-
nas
ant.
nda

um
foe.
ine.
Qui-
am
mi-
qui
in
ppa
te
fint
rata
inis
fo-
arte
re-


ne-
am
ni-
us.
nis
Po-
tu-
ut
fa:
an-
e-
co.

U62961

ULB Halle 3
005 607 671


1012





Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



D. O. M. A.

PHYSICA L'ACTIS CONTEMPORATIO.

In qua simul de lacte infantum, virginum, virorum, Hircorum, Gallinarum, &c. item seminis & sanguinis, uteri & mammarum consensu aliisque jucundis scitu questionibus.

Ad disputandum proposita in Illustri Casimiriano Saxonico Coburgi.

PRÆSIDE

ANDREA LIBAVIO M.D.P.C.
GYMNASII DIRECTORE ET
PROFESSORE PUBL.

Respondente

MARCO HEBERERO SUEVIFUR-
tense Gymnasta Publico.

Ad xxviii. Septembris Iuliani.

Coburgi, Typis Ducalibus Iustus Hauck.
Anno Christi, MDCX.

29

